



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvtii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De dulcedine rerum Spiritualium. Cap. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

tui amoris ignem de coelis mitte-
re, qui cor meum & viscera inflam-
met, depascat, atque consumat: qui
corpus & animam luculentis flama-
mis incendat. O Deus meus quando
tui amoris facibus totus ardebo:
quando tui amore languidus ante
pedes tuos emoriar: Dulcissime &
amantissime I E S V, benedictum
fit sanctissimū nomē tuum I E S V S
in sæcula. Amen.

*De dulcedine cōsolationum spiritua-
lium, Macula X X V.*

CAPVT XXVI.

QUAM magna multitudo dulcedinis *Psalm. 34.*
tue Domine, quam abscondisti timen-
tibus te.

O quàm ineffabiles sunt Domine *Consolatio-
nes, quibus
Deus seruos
suos recreat,
ineffabiles.*
consolationes & dulcedines, quas
in illorum, qui te in hoc mundo, ca-
sto ac feruido amore complectun-
tur, cordibus, atque intimis medul-
lis, oculis atque recludis. Quantæ
ergo ô Pater benignissime, ô Deus
amantissime, & quales erunt illæ,
quas eis in futuro sæculo reseruas?

Quam

Psalm. 83.

Quam dilectæ tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atriâ Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Hæc sunt verba Regij Prophetæ, dum in excessu mentis ineffabilia bona quæ Deus electis suis in altera vita præparauit, contemplaretur.

O munde immunde, qui oculos terræ affixos habes, nec vultum vnquam ad cælum erigis, in cæni profundo iaces, & sordibus tuis oblectaris.

Mundus cæcus & stultus.

O cæce, ô stulte, ô insane, vtinam delicias & voluptates quibus hi qui Deo seruiunt, in hac vita perfruuntur, agnosceres. O munde perfide inimice omnis boni, & veræ dulcedinis animarum: quandoquidem vt eas tantis opibus tamq; immensis thesauris, quos Deus ipsis conseruat, despolies, eas circumuenire ac in fraudem inducere conaris: dum eis ficta, vana & fallacia proponis, quibus eas implices, sicq; securè ipsis auferas dulcedines & consolationes, quas Deus in hac vita eis

ta eis

ta eis preparauerat, cum magno in-
super discrimine, ne illos etiam si-
mul omnium bonorum cumulo,
quem in altera vita tanquam benignus
Pater eis conseruat, priues.

O animæ persuasionibus eius in
fraudem inductæ, ad vos ipsas re-
uertimini: experimini quàm dulcis
sit sponsus vester IESVS Christus:

Gustate & videte quoniam suavis est Domi-
nus. Dulcis & rectus Dominus. O animæ
cæcæ, & terrenis curis ac sollicitu-
dinibus impeditæ, disrumpite tan-
dem aliquando vincula captiuitatis
vestræ: Spiritualia sectamini, si per
experientiam discere cupitis, quàm
magnæ & quàm innumerabiles sint
cōsolationes, ac dulcedines IESVS
Christi crucifixi, quibus suos per-
mulcet.

Venite audite & narrabo vobis omnes
qui timētis Deum, quanta fecit anime mee;
ait Propheta: Venite, venite, & con-
uertimini ad IESVM & mundo
valedicite, si gustare vultis quæ ne-
mo videre, nec audire, nec compre-
hendere proualet, nisi quantum &
quo-

*Psalm. 33.
Psalm. 24.
Dulcedinis
Christi mag-
nitude.*

Psalm. 6.

162 SPECVLVM ANIMAE
quomodo largitori eorum, plac-
tum fuerit.

*Apostrophe
ad eos qui
dulcedinem
diuinam
gustant.*

Ad vos nunc sermonem conuer-
to, o ter felices & fortunati, qui
iam secretum sponsi vestri thala-
mum introiistis: qui ad suaues am-
plexus & dulcia oscula eius perue-
nistis: qui à sponso in cellam vira-
riam introducti, ibiq; diuini amo-
ris musto inebriati estis: qui sepe
in excessu metis facti, & à sensibus
abalienati, transformamini & cõ-
iungimini dilecto spõso vestro: ad
vos denique *qui bibitis vinum in dulci-
dine*: vos inquam moneo & hortor.

Ioel. 1.

Cauete, caute, caute, ne dulcedo
huius escæ, & suauitas harum con-
solationum vobis fraudi sit, ne per-
eas gulosi, & illius suauitatis im-
moderatè cupidi efficiamini: adeo-
que de medijs, finem constituaris,
amando, desiderando, & totum fi-
nem in illis collocando, & largito-
rem earum negligendo & deserendo,
quod ingens certè scelus esset.

*Deus ternos
suos consola-* Deus Pater, tantæ bonitatis &
pietatis est, tantoque erga nos
a. n. c. c.

amere flagrat, ut animaduertens vi-
am ipsi seruiendi arduam, impedi-
tam, nostræque sensualitati maximè
contrariam esse, pro solita sua li-
beralitate, infundit cordibus eo-
rum qui fidam ipsi exhibent serui-
tutem: dona, dulcedines, suauitates,
& quædam consolationum spiritu-
alium genera, adeò dulcia, sapida &
gustatui iucunda, ut natura etiam
sensitiua ex dulcissimis & suauissi-
mis his influxibus, & cœlesti man-
na, roreque diuino, robur capiat,
tenuemque ac facilem sibi putet
omnem huius viæ asperitatem: sicut
ait Dominus. *Iugum enim meum suauis*
est, & onus meum leue. Matth. xx.

Seruire Deo est in se quidem iu-
gum & onus grauissimum, sensua-
litati planè contrarium & aduer-
sum: at talibus auxilijs accedenti-
bus, iugum efficitur suauissimum,
& onus leuissimum.

Dulcedines itaq; & cōsolationes
spirituales, sunt media per quæ ad
diuini amoris perfectionem, facili-
ter, expeditè & suauiter peruenitur.

Sed

*Cauendum
est à gula in
consolatio-
nibus spiri-
tualibus.*

Sed opus est vt hîc sibi quisque diligenter prospiciat, quia latet anguis in herba: viperaq; hic venenosissima delitescit, quæ morfu suo lethale vulnus infligit: à qua iste sibi non cauet, qui in diuinis consolationibus, & dulcedine infusa sibi vsque ad eadè complacet, vt eius ingenti cupiditate assiduo teneatur: omniaque quæ agit, ad hunc finem referat vt eam acquirat, quam si nõ obtinuerit, turbatur & contristatur: atque pro eo quod Deum, qui vniuersas has consolationes ei pro sua pietate impertitus est, & à quo omne bonum quod in se habet existit, diligere deberet, ipsam potius dulcedinem amat, idque propter amorem quo seipsum diligit, sicque è filio seruus & mercenarius efficitur: Etenim licet Deum querere ac diligere videatur, hoc tamen agit vt consolationibus illius visitetur & recreetur: O fraudem. O errorem. O scelus. Heu quàm multi huius viperæ morfibus intereunt.

Opus est itaque hîc omnibus qui
Deo

Deo seruire volunt diligenti cau-
tione, prouidendumque ne in hanc
charybdim impingant.

Quod ut fiat, fidelis Dei seruus *Qua ratione*
sæpè firmo, stabili ac deliberato ani- *proiuderi*
mo proponet Deo ex puro, & sim- *possit ne gu-*
plici amore famulari: contestabi- *lam hanc*
turq; hoc coram diuina maiestate, *incurramus.*
efficaciori qua potest ratione: di-
cetque.

Domine ego totus tuus sum, *Protestatio*
nec quicquam habeo aut habere de- *hac coram*
sidero præter te solum: Te solum *Deo facta*
quærere, te simpliciter & purè, nul- *iuuat, ne in*
lo habito meorum commodorum *fraudem in*
respectu diligere cupio; protestor- *consolatio-*
que hic in conspectu summæ maie- *nibus spiri-*

166 SPECVLVM ANIMAE
quærere, te desiderare, te amare, ti-
biq; me totum dare & consecrare.

Tu solus mihi sufficis: si dulcedi-
ne & consolationibus tuis me visi-
tare volueris, sis tu Quidem benedi-
ctus: quia pro tua pietate ac amore
quo semper in nos fuisti, es & eris,
facies: ego verò pro his immortales
tibi gratias agam; sin eas subtraxe-
ris, sit tibi similiter laus, gloria, &
benedictio, & ego pro eo etiam im-
mensas tibi gratiarum actiones
perfoluã: Tibi soli Domine ex toto
corde, & ex tota anima seruire pro-
pono, etiam si multis sæculis victu-
rus essem. Hoc coram te profiteor,
hoc facere volo ac desidero, teque
humiliter deprecor vt quandoqui-
dem sine te nihil possum ad hæc im-
plenda vires & robur mihi sugge-
rere digneris. Quapropter ad te cõ-
fugio, tibi me tota deuotione com-
mendo: tibi me totũ relinquo: & in
viscera misericordix tuæ me totum
proijcio, suscipe me DEVS meus:
amplectere me spes mea: vni me ti-
bi inseparabiliter, dulcissime Pater.

Porro

Porro signa si requiris, ex quibus agnoscere queas, num protestationi huic satisfacias, hæc manifestissima habe.

Signa ex quibus agnoscisci possint protestationi satisfaciarum.

Primò cognoſces illud ex dulcedinis habitæ termino, perpendendo num tibi in ea plurimum placeas: Adhęc animaduertendo num firmo ac deliberato adhuc animo sis protestationem tuam opere adimplendi.

Secundò: Considerando; num in diuinis consolationibus actu Deo tantas gratias referas, quantas potes.

Tertiò: Attendendo, num ipsa sua uitate durante prompto & resignato sis animo ad eius priuationem.

Quartò: Aduertendo, num ea sublata conturberis, & tristitia replearis.

Quintò: Considerando, num ea perditâ inquietus sis, & eam cum animi quadam anxietate requiras, & per diuersarum orationum, meditationum, & exercitiorum usurpationem recipere labores. Hæc namque

168 **SPÉCVLVM ANIMAE**
que si in te reperta non fuerint: tibi poteris firmiter persuadere, aliquam subesse Diaboli fraudem, ac deceptioni te proximum esse: quare ad tuam emendationem & correctionem accingêris, protestationemque tuam denuo renouabis.

*Desiderare
cōsolationes
bonum ali-
quando est,
sed pericu-
losum.*

Aduertendum tamen est, me hic non omnem consolationum cupiditatem aut desiderium improbare. Bonum namque ac licitum est eas appetere, eo fine, ut eò expeditius & facilius ad sponsi amorem perfectionemque feramur, modò hoc solo fine fiat: sed necesse est ut hic vnusquisque diligenter sibi prospiciat, ne natura nostra quæ seipsam in omnibus quærit, sibi que nimio plus amica est, subtilibus dolis ac fraudibus suis nos circumueniat, ita, ut dum nos Dei amore permoueri existimamus, nosmetipsos quæramus: Quare singulari solici-

*Demon sepe
fingit cōso-
lationes spi-
rituales.*

tudine & vigilantia hic opus est. Est & aliud periculum in his consolationibus, à quo sibi serui Dei cauere debent, quod hic leniter tan-

summodo

tummodò attingemus, exactiorem eius tractationem in Paradiso contemplatiuorum, (quem propediem diuina ope adiuti, in lucē nos prolaturos speramus) exhibituri: Est autē tale: quòd Dæmon, sæpè transfiguret se in Angelū lucis, & consolationes ac dulcedines frequenter fingat ac procuret, vnde non rarò vsuuenit, vt dum anima se sponso suo vnità retur, adultero iuncta sit: & dum se I E S V suo perfrui putat, cum Dæmone spiritualiter luxuriatur.

Itaq; opus est in his omnibus diligenti circumspectione, speciatim fœminis, quas Dæmon sæpissimè dolis suis in fraudem inducit, quare quāuis multa dicere possem, cum eiusmodi non pauca per manus meas transferint, hæc tamen in præsentī sufficiant.

*Fœmine
frequenter
à Dæmone
deciuntur.*

Modus eluendi hanc maculam.

PRIMVS modus scopulum hunc euadendi est; Sæpè protestationem illam, quam paulò ante posuimus,

H

1705 SPECVLVM ANIMAE
suumus, vsurpare ac renouare.

SECUNDVS est. Considerare
perfectionem, non consistere in
consolationum affluentia, sed in ad-
uersitatum pro Christi amore tole-
rantia: quia non illi, qui pluribus
consolationibus visitantur, maiori
sanctitate præditi sunt, sed qui gra-
uiora Dei amore patiuntur.

*Consolatio-
nes Deum
debilibus
& imperfe-
ctis largi-
mur.*

TERTIVS; Secum expendere,
Deum dulcedines has non raro de-
bilibus & infirmis, vt eos corrobo-
ret, animoque vacillantes erigat,
impertiri: qui alioqui, nisi tali lacte
nutrissentur, viæ asperitatem refor-
midarent, & eum sequi renuerent.

*Fortes vero
tribulatio-
nibus exer-
cet.*

At eos qui forti, cōstanti ac delibe-
rato animo sunt, aduersitatibus, tri-
bulationibus, persecutionibus, in-
firmitatibus, alijsque duris & aspe-
ris exercere: Ex hac consideratione
facile seruus Dei, consolationes non
dico prorsus contemnet, quia cum
Deus eas donat, cum gaudio & gra-
tiarum actione suscipiendæ sunt: sed
in se mortificabit affectum, deside-
rium, & complacentiam quam pos-

fer habere in similibus consolationibus. Utinam Deus omnibus nobis gratiam donare dignetur quo ipsi fideliter famulemur, illumque purè ac simpliciter diligamus.

IN NOMINE
PATRIS, ET FILII,
ET SPIRITVS SANCTI,
Amen.

DE SEPTEM PECCATIS
mortalibus, & ratione, illa
superandi.

QVAMVIS anima pia, supradictæ maculæ omnia omninò peccata mortalia, & modum foedissimas illorum maculas, quas his, quos contaminauerint, aspergunt, eluendi in se cõplectantur: nihilominus cum sint septè fontes, septem capita, ac septem principalia fundamenta quibus tota ciuitas Diaboli, & omnia peccata innituntur, operæ pretium me facturum existimaui, si rationem maculas singulorum speciatim

H 2

172 ◊ SPECVLVM ANIMAE
ciatim mundandi, breuiter & con-
pendiosè perstringerem.

*Methodus generalis omnia vitia
superandi.*

QVE M A D M O D V M omnia
peccata septenario numero com-
prehenduntur, ita & nos hic septem
modos ea omnia generaliter super-
randi præscribemus: de singulis po-
stea sigillatim acturi.

PRIMVS modus est. In omni-
bus rebus diligere penuriam, non
tantùm in illis, quæ ultra necessita-
tem desideramus: sed etiam in illis
quæ nobis necessaria sunt.

SECUNDVS est. Contemni, le-
dibrio haberi, reprehendi ab omni-
bus, cunctisque horrore esse, maxi-
mè parentibus, cognatis & amicis,
donec animi nostri elatio & super-
bia prorsus depressa & mortificata
fuerit.

TERTIVS est. Seuerum nobis
deligere magistrum, siue directo-
rem, qui contraria his, quæ nobis
bona & recta videntur, iubeat: nec
quic

quicquam nos habere patiatur, præter ea quæ nobis concesserit: nec aliquid agere permittat, nisi quod ab eo iussum fuerit, imò ne toleret quidem ut verbum vnum loquamur, aut vñ aquæ scyphum bibamus sine ipsius facultate: qui denique nullum defectum in nobis intactum relinquat, quem nõ aspera & seuera increpatione puniat & reprehendat: quoadusque peruersa & distorta voluntas nostra rectificetur, & alterius voluntati promptè se submittat.

QUARTVS est. Segregare se ab hoc mûdo: Etenim quemadmodum aqua turbida si non moueatur confestim fecibus in imo subsidentibus clarescit; at si moueatur turbida efficitur: ita mens humana, si ab huius mundi tumultibus segregata sit, subito serena & tranquilla redditur: at mundi negotijs implicata, commaculatur & conturbatur.

QUINTVS est. Oratio assidua: hæc namque vi sua mentem super omnia creata, atque supra seipsam

174 SPECVLVM ANIMAE
in Deum eleuat: ab eoque robur &
vires vitia omnia profligandi impe-
trat.

SEXTVS. Sunt aduerfirates: cu-
iusmodi, infirmitates, persecutio-
nes, tribulationes, molestia, incom-
moda, tentationes, contumelia, ig-
nominia & similia: Nam quemad-
modum lima vnaqua; affricatio-
ne aliquid aufert de rubigine ferri,
sic tribulatio semper aliquid tollit
de rubigine peccati. Hinc S. Grego-
rius ait: Qui desiderat vitia plenè
vincere, studeat humiliter purgati-
onis suæ flagella tolerare: Vnde et-
iam S. Propheta regius orabat: *Pro-
ba me Domine & tenta me, ve renes meos
& cor meum.*

Psal. 25.

SEPTIMVS est, Continua mor-
tis meditatio, quæ maximam vim
habet hominem à peccatis abstra-
hendi, & ad bonorum operum ex-
ercitia stimulandi.

*Modus deprimendi superbiam &
humilitatem acquirendi.*

SVPERBIAM facilè deprime-
mus,

his, si nobiscum Consideremus.

I. Proprias miseras tam animæ
quàm corporis.

II. Facilitatem in peccatum la-
bendi.

III. Difficultatem resurgendi.

IV. Fraudes & dolos inimico-
rum.

V. Viæ cælestis difficultatem &
angustiam.

VI. Finis ambiguitatem.

VII. Gratix incertitudinem.

VIII. Præmij excellentiam.

IX. Pœnarum infernalium æter-
nitatem.

X. Iudiciorum diuinorum pro-
funditatem.

XI. Christi humilitatem, qui cum
Deus esset, homo fieri dignatus est.

DE INVIDIA.

INVIDIA tres gradus habet.

Primus est. Non gaudere de bonis:
nec contristari de malis proximi.

Secundus est. Dolere de bonis, &
gaudere de malis proximi, propter
odium in illum conceptum.

H 4

Ter.

Tertius est. Proximo malè velle verbis & factis, & bona illius, quantum in nobis est, impedire.

Præterea. Grauis inuidia est, reddere malū pro malo; grauior, odisse illum, qui in nullo te contristauit nec vllam tibi fecit iniuriam: grauiſſima, malum pro bono reddere, & bonos odio proſequi, quemadmodum Iudæi Chriſtum infectati ſunt.

Deniq;. Inuidia magna est, offendere proximum in ſubſtantia vel exiſtimatione ſua: Maior, nocere illi in corpore: Maxima, anime ipſius incommodare.

*Modus eluendi maculam
Inuidia.*

PRIMVS est: Nihil earum rerum, quæ mundus habet, diligere aut deſiderare: quandoquidem inuidiæ cauſa & origo ſunt: Hinc namque fit vt qui opibus, honoribus, voluptatibus, alijsque rebus temporalibus affluunt, cæteriſque antecellunt, aliorum qui talibus egent,

egent, aut non adeò abundant, inuidiã pateant.

SECUNDVS est: Cogitare, quamuis alij non haberent ea, propter quæ ipsis inuidemus, vt sunt diuitiã & honores, nos tamen propterea nihilo plus aut minus habituros: ac proinde eis inuidere non debere.

TERTIVS est. Considerare, ad foelicitatem sempiternam consequendam, necessarium esse, vt proximo reconciliemur: melius autem esse, id tempestiuè quàm tardè fieri, tum ne bonorum operum quæ agimus fructus nobis pereat, tum ne si id tempore oportuno facere neglexerimus, magnum aliquando salutis discrimen incurramus.

QUARTVS est. Comes atque affabiles esse ac benefacere illis quibus inuidemus.

QVINTVS est. Pro illis assiduò preces fundere, vti S. Paulus Apostolus docet: *Noli vinci à malo, sed Rom. 12. vince in bono malum.*

IRA triplex est. *Prima est*, cum quis ob causam leuissimam, veluti ob verbulum vnum, aut minimam iniuriam sibi factam commouetur.

Secunda est: Cum quis excandescit & vehementi furore succenditur, iramq; conceptam foris vel in facie, vel interiori commotione, aut externis corporis gestibus ostendit.

Tertia est: Cum quis iram longo tempore in corde conseruat, & odium contra aliquem fouet.

Remedia contra Iram.

PRIMUM est: Ea quae nobis accidere possunt prauidere, seque ad ea placido & tranquillo animo toleranda praeparare: Minus enim (vt S. ait Gregorius) iacula feriunt, quae prauidentur.

SECUNDUM est: Nobis ipsis vim facere, silentiumq; nobis imponere, ac flammam intrinsecus in corde succensam reprimere ac suffocare, ne foras erumpat, & nos ipsos ac
alios

alios vehementius incendat.

TERTIVM est: Statim vt nos commotos deprehenderimus, aliquid agendum arripere & mentem occupare, vel cū alijs colloqui, aut aliquid operis agere: Etenim Salomone teste: *Cū defecerint ligna, extinguetur ignis.* Prover. 26.

QVARTVM est: Pudor siue confusio, qua modesti & verecundi plerumque retinentur, quia metuunt, ne scandalizent proximos.

QVINTVM est: Expendere ingentia damna quæ secum adducit hoc vitium, quorum non minimum est, quod hoc versu continetur.

Impedit ira animum, ne possit cerneve verum.

DE ACEDIA.

ACEDIA triplex est. Prima est amaritudo quædā animi, qua quis laborat, omnia quæ alijs iucunda & appetibilia sunt aspernatur: tædio conficitur: omnemque humanam conuersationem fastidit: De hac tristitia ait Apostolus. *Seculi 2. Cor. 7.*

H 6 autem

autem tristitia mortem operatur.

Secunda est: Pigritia quædam siue negligentia, somnum & corporis commoda diligens, labores horrës, aspera & dura fugiens, otioque plurimum gaudens. Hæc propriè vocatur pigritia.

Tertia est: Quæ res diuinas atque spiritualia exercitia tantùm fastidit, in alijs verò sollicita & diligens est, externisquæ magnoperè oblectatur: Oratio illi est insipida, diuinas laudes cursim persoluit, vt minus inde fastidium sentiat: & aliquando data opera cogitationes alias accersit, quibus tædium sibi tollat, seu minuat: iocis, risibus, nouis rumoribus, alijsquæ leuitatibus intendere delectabile ducit: Laudare verò Deum, & de rebus diuinis agere maximè fastidiosum.

Acedia magna est, negligenter ea, ad quæ obligati sumus, persolueret: Maior, præ tædio ea omninò dimittere: Maxima, alios etiam impedire, nec posse sustinere vt aliquid boni operis agant.

media

PARS PRIMA. ¹⁸¹

Remedia contra Acediam.

VNICVM maximeque efficax est: Nosipfos ad ea quæ nobis fastidio sunt agenda violenter constringere, & speciatim ad orationes & diuinas laudes concipiendas.

Contra tristitiam.

PRIMUM est: Sæpè in mentem reuocare Dei benignitatem, ingeniaque quibus nos ornauit beneficia.

SECUNDVM est: Proborum societati nos iungere, maximè ijs vbi de Deo agitur.

TERTIVM docet nos S. Iacobus Apostolus: *Tristatur, inquit, aliquis vestrum? Oret: Aequo animo est? psallat.* *Iacob. 5.*

QUARTVM est: Contra pigritiam ad laboriosa opera nos assuefacere.

DE AVARITIA.

AVARITIA tres habet species. *Prima est: Desiderium & cupiditas opes possidendi, siue voti compos quis fiat, siue non: sicut*

pauper, parum, vel nihil possidens.

Secunda est: Tenacitas in opibus partis conseruandis, tanta, vt ea non expendamus, quomodo, & quando oporteret.

Tertia est: Diuitias per fas & nefas amplificare, nec magnificare licite, an illicita sit negotiatio quam tractamus, aut lucrum quod acquirimus, modò opes augeantur.

Remedia contra Auaritiam.

PRIMUM est. Amore Dei omnia relinquere, & obedientiæ ac curæ aliorum se submittere: quemadmodum fecerunt fideles in primitiua Ecclesia, qui Apostolorum voluntati omnes opes suas relinquebant; Et modo faciunt Religiosi, monasticam vitam sectantes.

SECUNDUM est. Considerare auaritiæ laqueos, diuitiarum molestias: libertatem & comoda sanctæ paupertatis, pauperum gaudia, diuitum tristes curas: pauperum securitatem, & diuitum econtra pericula, quæ ipsis propter opes insensentur.

TER-

TERTIVM est. In Deo conde-
 re, qui neminem in se sperantem
 deserit: de quo Christus nos admo-
 net. *Nolite solliciti esse dicentes quid man-
 ducabimus? aut quid bibemus? Scit enim* *Matth. 6.*
Pater vester qui in his omnibus indigetis.
*Quærite primum regnum Dei, & hæc om-
 nia adicientur vobis.*

DE GVLA.

GVLA quadruplex est: *Prima*, an-
 te tempus, & sapius quam neces-
 sitas exigit manducare, vti pecora &
 alia irrationabilia animantia.

Secunda est. Nimia cum aviditate
 & festinatione comedere, vti fa-
 ciunt lupi, & canes famelici, ac vo-
 races.

Tertia est. Naturam superfluo cibo
 obruere, propter solam gulæ dele-
 ctationem.

Quarta est. Cibaria lauta, exquisita
 & delicata quærere & desiderare.

Remedia contra Gulam.

PRIMVM est. Sæpe proponere,
 non sapius quam necesse sit, nec an-

184 SPECVLVM ANIMAE
te tempus cibum sumere: idq; con-
tra primam speciem.

SECUNDVM est. Erubescere de
nostra ingluuie, tum propter nosip-
sos: tum propter alios, ideoque mo-
destiam in cibo sectari, & auidita-
tem illam nimiam reprimere, ac
coercere: idque contra secundam
speciem.

TERTIVM est. Considerare,
nimietatem cibi, plurimas secum
infirmittates adducere, naturam ob-
ruere ac suffocare, ac à bonis ac
praclaris actionibus nos impedire:
idque contra tertiam & quartam
speciem.

QUARTVM. Quod efficacissi-
mum ad tertiam & quartam speci-
em profligandam est: non habere
vnde possimus gulæ satisfacere:
Quapropter quāto quis fuerit pau-
perior, tanto minus hoc peccatum
incidet.

DE LVXVRIA.

LVXVRIA quatuor species ha-
bet. *Prima est in corde, de qua ait Sa-*
lomou:

lomon: Peruerse cogitationes separant à Sap. x.
Deo: Et Christus. Qui viderit mulierem Matth. 5.
ad concupiscendum eam, iam mæchatus est
in corde suo.

Secunda est. In sermone, aspectu,
contactu, osculis, amplexibus, alijs-
que illecebris, & gestibus inhone-
stis, sine tamen operis inhonesti
actuali perpetratione.

Tertia. In ipso actu: Cùm opus in-
honestum actu exercetur, idque se-
cundùm naturam, vtpote si vir cum
muliere, extra matrimonij statum
peccet.

Huius variæ sunt species: vt sunt,
fornicatio, adulterium, sacrilegi-
um, incæstus, stuprũ, raptus, & aliæ,
quas consultò prætermitto.

Quarta est. Peccatũ contra naturã.

Remedia contra Luxuriam.

PRIMUM est. Vt viri mulierum &
mulieres virorum consortia defu-
giant: sicut enim ait Sapiẽs: De vesti-
mentis procedit tinea, & à muliere iniqui-
tas viri. Et D. Gregorius. Qui corpus
suum continentiaë dedicant, habita-
re cum foeminis non præsumant.

Eccles. 42.

SECVN-

Et. l. 19. SECUNDVM est. Fugere societates eorum, qui huic vitio affines sunt, ne ex malis eorū exēplis, male agere discamus: *qui enim (vt ait Scriptura) se iungit fornicarijs, erit nequam.*

Prover. 29. TERTIVM est. Carnem inedia, vigilijs, alijsque rebus duris atterere, atque spiritui subijcere, nec eam blandè tractare. *qui enim delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Eccl. 33. QVARTVM est. Otium bonarum actionum inimicum & totius mali fontem deuitare: quia, *multam malitiam docuit otiositas.* Et Poëta.

Otia si tollas, perière Cupidinis arcus.

Jerem. 9. QVINTVM est. Sensus extrinsecos, qui sunt portæ per quas tanquã latro peccatū furtim se infert, diligēter obseruare & custodire: ne idem nobis contingat quod illi, qui ait: *Ascendit mors per fenestras nostras.*

Math. 15. SEXTVM est. Cogitationes carnales mox vt surrexerint, elidere, ac reprimere: quia *de corde exeunt cogitationes male, adulteria, &c.*

SEPTIMVM est. Frequenti orationi

tionem & meditationem incumbere:
 Quod ille faciebat, qui de se ait: *Et Sap. 3.*
vi scivi quoniam aliter non possem esse con-
tinens nisi Deus des. Adij Dominum, &
deprecatus sum illum, & dixi ex totis pra-
cordijs meis, &c.

Remedium uniuersale contra omnia
vitia, quod est IESVS Chri-
stus crucifixus.

SICUT Moyses exaltauit serpentem in Iohan. 3.
deserto, ita exaltari oportet filium hominis.

Quando filij Israel, a moribus
 venenosorum serpentum perime-
 bantur: Moyses ex diuina iussione
 serpentem aeneum fabricatus est, *Num. 21.*
 eumque ligno affixit, quem cum a ser-
 pentibus laesi aspicerent, sanabatur.

Pulcherrima est haec IESVS Chri-
 sti cruci affixi figura: Quem qui-
 cunque homines in deserto huius
 mundi a multitudine maxima pec-
 catorum, specialiter septem capi-
 talium vitiorum, morfi & vulnera-
 ti, aspiciunt: sanctissimamque illius
 passionem & mortem secum confi-
 derant, ac sacra vulnera eius intuen-
 turs

188 SPECVLVM ANIMAE
tur: medelam & robur contra om-
nia vitiorum genera accipiunt.

Accede itaque huc Gulose: & in-
tuere Christum potum postulan-
tem, aceto myrrha & felle potari
erubescere igitur de tua crapula &
ebrietate.

Accede huc Luxuriose: & aspice
Christum toto corpore vulneribus
concisum & sanguine deformatum,
caputque illius acutis spinis coro-
natum: Pudeat igitur te tuæ libidi-
nis.

Accede huc Auare; & cerne Chri-
stum nudum, nec ubi caput reclina-
ret habentem, in cruce mori: Et pu-
dore suffundere, propter insatiabi-
lem diuitiarum cupiditatem.

Accede huc Liuide: & intueri
Christum singulari cum amore pro
crucifixoribus suis deprecantem.

Accede huc qui tristitia, negli-
gentia, & socordia marcescis: & vi-
de IESVM prompto animo, acer-
bissima tormenta pro te patientem,
& spiritum suum cum insigni fidu-
cia Patri commendantem ac dicen-
tem.

tem. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.

Accede huc Iracunde: & aspice Christum propter contumelias, conuitia & iniurias sibi illatas, non indignantem, & magis de perditione illorum, quàm de suis cruciatibus dolentem.

Accede demum huc Superbe & Ambitiose: & cerne IESVM à toto mundo illusum, ludibrio habitum, & probris appetitum.

Tuam itaq; arrogantiam detestare.

Obone IESV salus animæ meæ, tu es medicina purgans, sanans & præseruans ab omni malo, & peccato.

O vulnera sanctissima: O sanguis pretiose Domini mei IESV Christi, quanta vobis virtus & efficacia inest.

Trahe me dulcis IESV in sanctissima vulnera tua, quia hic securus ero ab inimicis meis. *Abscondes* Psal. 30.
eos in abscondito faciei tuæ. Ingredere anima mea, ingredere latebras horum sanctissimorum vulnerum, quæ sunt vnicum tuum in tentationibus & aduer-

Psalm. 103.

190 SPECVLVM ANIMAE
aduersitatibus perfugium. *Mentes
excelsi ceruis, petra refugium herinacis.*

In his anima mea dies noctesq; cō-
morare, & si demonibus horrore, &
à serpētum, hoc est peccatorū mor-
fibus liber esse cupis, contemplare
assiduè, quanta tui causa dixerit &
fecerit sponsus tuus in ligno crucis.

O IESV noli me derelinquere,
quia à te nunquam separari cupio,
dulce bonum meum.

Semper harere lateri tuo, nec à
sancta Cruce, ac pedibus tuis vnquā
discedere volo, quoadusque te in
coelis videam, quod aliquando tua
praestante clementia & benignitate
futurum spero. Amen.

IN NOMINE PATRIS,
ET FILII, ET SPIRITVS
SANCTI, Amen.

Damna peccati Venialis.

QVANDO peccatis venialibus
ostiu nō clauditur, facilis sed-
ditur lapsus in mortalia: Hoc sensu
quædam S. Augustini sententia,
quam Magister in 4. sententiarum
di-

PARS PRIMA. 191

distinct. 16. refert, accipienda est: Quæ talis est: Peccata venialia si collecta circa nos fuerint, ita nos grauant & opprimunt, sicut vnum graue peccatum.

Quæ verba Richardus de Mediauilla distinct. 16. art. 2. quæst. 2. exponens ait: Nulla ratione multa venialia esse vni peccato mortali æqualia, eò quòd deformitas & damnum vnius peccati mortalis maius sit, quàm centum millium peccatorum venialium simul.

Quapropter verba S. Augustini docet esse intelligenda dispositiuè, quòd videlicet multa peccata venialia, disponant nos ad lapsum in mortale: siue quòd possint esse tam multa & graua, vt voluntatè prorsus deordinarent, & deformarent: quo in illa deformitate quiesceret, ac sibi placeret tanquàm in fine: quod esset mortale, non veniale.

Duodecim damna peccatorum venialium.

Primo: Oculis mentis caliginem offen-

192 SPECVLVM ANIMAE
offendunt; ne possint clarè contem-
plari Deum.

Secundò : Feruorem charitatis &
diuini amoris imminuunt.

Tertiò : Impediunt ne orationes
nostræ exaudiatur, nisi difficillimè.

Quartò : Debilitant & commacu-
lant animam.

Quintò : Spiritum sanctum contri-
stant, & Dæmones lætificant.

Sextò : Dulci familiaritate Dei nos
spoliant.

Septimò : Ad peccata maiora & gra-
uiora disponunt.

Octauò : Vires & robur animæ ad
peruersarum inclinationum morti-
ficationem infringunt.

Nonò : Homine languidum, & pi-
grum ad benè operandum reddunt.

Decimò : Affectus, & desideria ad
temporalia inclinant.

Vndecimò : Poenas purgatorij diu-
turniores nobis parant.

Duodecimò : Retrahunt nos pluri-
mum, ne presentiam diuinam con-
templemur & sentiamus.

Finis prima partis.

HOR.